Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2207
Quelle:
Copyright:

DCCCCXXIX.

R. 3344 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 131. 8. min. bene perſcriptus, rubro diſtinctus, et in Calendario praefixo omnibus adminiculis tabellaribus ad ordinanda tempora inſtructo, auro argentoque comtus e piis Precationibus praecipue ad Ven. Sacramentum directis, et a quodam Coenobita congeſtis conſtat. In Calendario nihil peculiare praeter *Translationem S. Candidi* ad diem 23. *Maji*, de qua inter plures *Candidos* dirimere difficile eſt. Poſt Tabulam phlebotomicam ad Signa Zodiaci adaptatam *fol.* 14. Computus eccleſiaſticus ab anno 1442. ad a. 1499. productus eſt, unde ſcripti Codiculi tempus deſumitur. P. 2. brevis Inſtructio germanica: *Diſe nachgeſchribne tauel lernt uinden die funf vngewiſſen zeit* &c. Preces ipſae non carent omni ſuperſtitiuncula. Ita *fol.* 52. p. 2. *Nota ſecundum auguſtinum et platonem.*

Corpora cuncta poli quingentis triginta duobus
Annis en redeunt ad eundem concio (ſic) *punctum.*
Res corpus florem ſi quis fallendo tuetur,
Hec tria ſunt venie, ſunt mortis cetera queque.

Fol. 70. habetur *Oratio katherine ad conflictum L. rethorum. Fol.* 75. ubi Vir pius longa enumeratione pro omni hominum genere Deo ſupplex fit, placet valde: *pro omnibus ruſticis maxime noſtris colonis, quorum laboribus nutrimur.* Ibidem orat *pro felici conſeruatione illius ſacri Concilij*, quo *Baſileenſe* intelligi non dubito. *Fol.* 105. p. 2. continuo additur *Deuota exhortacio ad ſacram criſti communionem*, cujus initium: *Uenite ad me omnes* &c. *Cum quanta reuerentia chriſtus ſuſcipiendus ſit vox diſcipuli. Capitulum primum. Hec ſunt verba tua chriſte veritas eterna, quamuis non vno tempore prolata* &c. Quis non illico agnoſcit Librum IV. *de Imitatione Chriſti* ſeparatum a reliquis ita, ut retuli *Vol.* I. P. 1. *col.* 1086. Quis vero hinc inferet, eum *Thomae a Kempis*, et quidem ejus temporibus non eſſe viciniſſimum, niſi ignarus, quam ſaepe boni illi Librarii, aut nomina Autorum omiſerint, aut falſa ſubfecerint genuinis. Adi Diſſert. quam *Desbillonius* editioni ſuae horum IV. Librorum *Manhem.* praemiſit. Exemplum praeſens etiam quoad numerum *Capp.* XVIII. cum veteribus Mſs. et Editionibus conſentit, contra frivolam *Joſ. Valarti* novandi pruriginem, qui ea in edit. *Pariſ.* 1758. 12. ad numerum IX. reductum ivit.

DCCCCXXX.

Codex chartaceus germ. Sec. R. 974 XVI. Folior. 43. fol. max. pereleganter ſcriptus, auro, minioque diſtinctus, et quondam Collegii S. J. *Neoſtadienſis* in *Auſtria*

pias